



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

LXVII. De leuibus & grauibus culpis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

& seipsum in hoc valde redarguens vobis eandem reliquerit, ad nutum eius qui præest tantum, sine consensu capituli id agere potest.

LXVII.

De leuibus & grauibus culpis.

Si aliquis frater loquendo vel militando, aut aliter, aliquid leue deliquerit, ipse vltro delictum suum satisfaciendo magistro ostendat. De leuibus, si consuetudinem non habeant, leuem poenitentiam habeat. Si vero eo tacente per aliquem alium culpa cognita fuerit, maiori & euidentiori subiaceat disciplinae & emendationi. Si autem graue erit delictum, retrahatur a familiaritate fratrum, nec cum illis simul in eadem mensa edat, sed solus refectio- nem sumat. Dispensationi & iudicio magistri totum incumbat, vt saluus in iudicii die permaneat.

LXVIII.

Qua culpa frater non amplius recipiatur.

Ante omnia prouidendum est, ne quis frater potens aut impotens, fortis aut debilis, volens se exaltare & paulatim superbire, ac culpam suam defendere, indisciplinatus maneat: sed, si emendare noluerit, ei districtior correptio accedat: quod si piis admonitionibus, & fuis pro eo orationibus, emendare noluerit, sed in superbia magis ac magis se erexerit, tunc, secundum Apostolum, de pio eradicetur grege: *Auferte malum ex vobis*, necesse est vt a societate fratrum fidelium ovis morbida remoueatur. 1. Cor. 5. Ceterum magister, qui baculum & virgam manu tenere debet (baculum videlicet, quo aliorum virium imbecillitates sustentet, virgam quoque qua vitia delinquentium zelo rectitudinis feriat) consilio patriarchæ & spiritali consideratione id agere studeat, ne, vt ait beatus Maximus, aut solutior lenitas cohibentiam peccantis, aut immoderata seueritas a lapsu non reuocet delinquentem.

LXIX.

Vt a paschali solennitate vsque ad festum omnium sanctorum vnam camisiam lineam tantum sumere habeat.

Interea, pro nimio ardore orientalis, regionis misericor-
Concil. Tom. 27. L ij